

Letter 99: 15 July 1521, Halle, Capito to the Dean of the Chapter of Saint Thomas

The manuscript of the letter is in the Strasbourg city archive, AST 16 (13,1) # 9.

Reverendi nobiles ac doctissimi domini humillimam commendationem. Quatuor tandem brevia Sanctissimus Dominus noster nunciis misit agentibus apud Caesaream Maiestatem super praepositura una cum praebenda et canonicatu, quibus plenissime mihi provisum aiunt. Et simul ad me scribitur nihil obstare quominus debeatis et possitis meis procuratoribus dare
5 possessionem nisi admodum maligno erga me animo fueritis. Id quod neutiquam suspicor, quin potius confido venerabile capitulum gratulari nobis ex animo quod tandem iustitiae fructum obtinuerimus, quando toties promissam dignitatem iure optimo vindicarim. Faciant igitur humanitates vestrae reverendae, quemadmodum confido vos indubie facturos, et volentes
10 concedite iure mihi debitam possessionem, et benevolum animum vestrum erga me fideliter agnoscam. Id enim futurum est ad concordiam inter nos fovendam; nihil tum nobis iucundius, tum ecclesiae vestrae commodius obtingere potest quam quod mutuis viribus facile tuebimur, ubi mutuo nos ipsos favore prosequimur. Datum Hallis, ex arce divi Mauricii. XV die Julii An. XXI. R.P. Vestrarum deditissimus Wolfgangus Fabritius Capito.